



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

690. An procurator constitutus ad concordandum super beneficio cum quibuscunque conditionibus, vi hujus mandati possit illud beneficium resignare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

hæc verba pugnent cum jure communi, ac proinde contineant, quod jure fieri non potest; cum non magis pugnent cum jure communi, seu concedi non soleant, quam illa clausula: *litteris non expeditis etiam per successorem solvenda*. Sic, si constitutus ad resignandum sub pensione cum potestate illam transferendi, resignavit reservatâ pensione, sed sine facultate eam transferendi, resignatio est nulla. Azor. *in fine. cit. q. 12. Paris. cit. q. 17. n. 46. juncto n. 32. & 33. contra Caputaq. decis. 89. p. 3. sententiam*, valere in hoc casu resignationem, eò quod, qui facit mandato contigua vel vicina, non dicatur excedere fines mandati. Idem est, si constitutus ad resignandum sub pensione libera, & exempta, resignavit quidem sub pensione, sed non sub libera, & exempta. Azor. *loc. cit.* Sic inhærendo responsioni generali, si constitutus ad resignandum simpliciter, resignat sub reservatione pensionis, nulla erit resignatio; eò quod ad conditionalem resignationem mandatum non habuerit; nec dici possit, quod mandarius excedens mandatum, utiliter gerat negotium mandantis. Castrop. *loc. cit. n. 8. contra Azor. q. 12.* Quodsi tamen constitutus ad resignandum in favorem Titii modo, & formâ, & conditione, quæ Procuratori videbuntur, & reservatâ pensione cuicumque voluerit, is resignet in favorem Titii, reservatâ pensione ipsi mandanti; valida videtur resignatio, & facta melior conditio domini, seu mandantis absque eo, quod fines mandati fuerit egressus. Azor. *l. c. Paris. n. 78.* Quodsi etiam in mandato aliud nihil expressum, quam ut reservetur pensio, & dein supplica signata fuit cum clausula de exemptione pensionis, & postea Procurator consensum præstitit absque clausula de exemptione pensionis, & similiter literæ expeditæ absque dicta clausula; validam adhuc fore resignationem, seu dictum consensum per Procuratorem præstitum, tradit *ibidem* Azor. cum Paris. *à num. 51.* quia consensus hic, & literæ cum mandato concordant, & ut habet regula Cancellariæ, judicandum non est juxta supplicationis, sed secundum literarum tenorem; & dum Princeps concedit quid amplius, quam in libello supplicis peritum, concessio continet hanc tacitam conditionem, si partes uti voluerint dictâ concessione.

3. Denique constitutum ad resignandum in favorem personæ per ipsum hunc constitutum Procuratorem nominandæ, seu cui ipse Procurator voluerit, non posse Procuratorem nominare seipsum, tradit Paris. *à nu. 102. ex Bursat. cons. 380. vol. 4. & cum eis Azor. Confirmantque id à pari, quod, qui constitutus Procurator ad eligendum vel nominandum, non possit seipsum eligere vel nominare. l. si mandavero. §. si tibi centum. ff. mandati. c. per nostra. de jurep. c. Cumanâ. de elect. Patronus seipsum præsentare nequit, de quo vide dicta aliàs. Is, cui data facultas ad vendendum, pignus, cui voluerit, non potest sibi ipsi vendere pignus: is, cui tradita pecunia, ut det illam, cui voluerit, non potest eam sibi reservare; quamvis Executor, vel alius constitutus ad distribuendum pecuniam inter pauperes, possit sibi ipsi dare, vel applicare, v. g. monasterio suo, si egeat. Rationem etiam hujus rei hanc dat Paris. *n. 114.* ne tales eligentes, præsentantes, nominantes seipsum in vitium ambitionis incidant, Et hinc limitandum illud: *Charitas incipit à seipso*: nimirum, si tali charitati admixta non sit ambitio, uti ea tali distributioni pecuniarum non est admixta, dum sibi ipsi ex ea quis tribuit, ut*

Paris. *à n. 117.* Item quia mandatum hoc, ut Paris. *nu. 115.* videatur continere tres personas, constituentem, constitutum, & tertium, in cujus favorem facienda resignatio, unde videatur non servari ejus forma, si constitutus seipsum nominet ad beneficium.

Questio 688. Si duo reperiantur data mandata eodem anno, mense, die, loco, restibus, ac Notario isdem, contraria tamen, v. g. quorum unum sit ad simpliciter resignandum, alterum ad resignandum in favorem, cui ex illis standum?

Respondeo: Utrumque esse invalidum, & nullius momenti, & hinc facta resignatio in vigore unius ex illis est invalida. Paris. *l. 9. q. 23. n. 1. & 2. citans Selv. de benef. p. 2. q. 15. n. 15. & Rotam.* dum enim mandata sunt in qualitate diversa, propter incertitudinem utrumque est invalidum. Paris. *cit. nu. 2.* juxta *l. duo sunt Titii. ff. de testament. tut. & Abb. in c. in nostra. de rescrip.* non secus ac contingit in duobus codicillis, in duobus rescriptis, in duabus sententiis diversis, & contrariis. Paris. *ibid. n. 3. ex Jason. in l. ult. à n. 31. de editio divi Adriani toll.*

Questio 689. An, si Procurator resignet in favorem inhabilis, vacet beneficium resignatum?

Respondeo primò: Si ei à mandante denominata fuit persona illa, in cujus favorem renunciare debebat, & ea reperiat in habilis; mandante inculpabiliter non sciente de illa inhabilitate, non magis vacabit beneficium vi talis resignationis in talem factæ per Procuratorem, etiam confcium talis inhabilitatis, ac si ipse per se resignasset tali, juxta dicta aliàs. Sicut econtra vacabit beneficium, per talem resignationem, si ipse mandans sciens inhabilitatem talis personæ, nihilominus mandavit Procuratori incio de tali inhabilitate, in talem resignare. Paris. *l. 9. q. 21. n. 8.*

2. Respondeo secundò: Si constitutus Procurator ad resignandum in favorem illius, cui ipse voluerit resignare; & resignavit inhabili, videtur adhuc non vacare beneficium vi talis resignationis, & ea resignatio omnino invalida in ordine ad jus abdicandum à resignante, cum talis Procurator egressus censetur fines mandati sui, in quo aliud velle non præsumitur mandans, quam ut beneficium suum obveniat habili.

Questio 690. An Procurator constitutus ad concordandum super beneficio cum quibuscunque conditionibus, vi hujus mandati possit illud beneficium resignare?

Respondeo negativè: Eò quod cessio sit donatio, & facultas donandi non censetur data nisi expressè dicatur, semperque præsumatur pro non donatione. Paris. *l. 9. q. 19. à n. 1.* Qui tamen id ipsum etiam sic limitat *nu. 8.* nisi esset data re-compensata æquivalens vigore resignationis, vel casus esset dubius; utroque enim hoc casu posse resignari vi talis mandati juxta notata per DD. *in l. contra juris. §. si filius. ff. de pactis.*